



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

7. An unica causa in rescripto inserta si falsa sit, rescripta vitiet, & quid si plures causae partiales? an in dubio causae motivae aut impulsivae praesumatur causa motiva, atq[ue] adeò pro valore ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

petratâ dispensatione circa votum, poteris postea de consanguinitatis impedimento dispensationem impetrare, quia dispensatio voti alium effectum habere potest: neq; ex conjunctione impedimenti alterius aggravatur. Quod si animo contrahendi cum consanguinea dispensatio voti petita fuit, tunc oportebit necessariò impedimentum consanguinitatis detegere, quia cum dispensatio in voto castitatis, hic & nunc alium effectum nullum habeat, quàm ut te habilem, & expeditum reddat ad matrimonium contrahendum, & ex impedimento consanguinitatis adhuc impeditus existas, & impedimentum voti castitatis ex conjunctione alteri impedimēti aggravetur, ut dispensatio effectum sortiatur, utrumq; impedimentum manifestandum erit, ut benè *Sanch. loco cit. cap. 17. n. 24. Sua. lib. 6. de leg. cap. 24. n. 5.*

7. Cæterùm, si in rescripto apponitur unica causa & falsa illa, rescriptum vitatur, *Palau. tom. 1. tr. 3. disp. 6. pun. 16. §. 3. n. 1.* si verò apponantur plures partiales, quarum singulæ non sufficerent, existente unâ falsa etiam vitatur; *Covar. lib. 1. cap. 26.*

cap. 20. n. 5. *Suar. de voto lib. 6. cap. 27. n. 32.*
 secus si vera sit una sufficiens, licet alia
 falsa sint. *Sanch. lib. 6. disp: 21. n. 32.* mo-
 do falsa causa non sit intrinseca, id est, per
 se æquè movens Principem ad dispen-
 sandum, tunc enim, cùm maior ratio non
 sit, cur Princeps ex causa falsa moveatur,
 quàm vera eodem modo sibi proposita,
 qualibet cessante corruet intentio di-
 spensantis: *Guitier: lib: 2. canonicarum. quest.*
cap. 15. n. 29. In dubio autem, an causa fal-
 sa sit intrinseca vel extrinseca, finalis vel
 impulsiva, præsumitur impulsiva, atq; i-
 deò præsumendum pro valore actûs L.
quoties de rebus dubijs. cap. Abbate de verb. sign.
 itemq; est in dubio, an dispensatio valeat,
 quia dubitatur de veritate narratorum.
Palaus sup. cit: punc: 16. §. 3. n. 3.

8. Rescriptum cum errore in nomine
 Diœcesis, ut si Petrus sit Diœcesis Salis-
 burgensis, & dicatur esse Viennensis, se-
 cundum quosdam est invalidum, *Sanch:*
de matr: tom. 3. disp: 21. num. 39. nam tunc
 committitur Episcopo Viennensi dispen-
 satio, qui tamen potest dispensare cum
 non subdito: sed veriùs putamus esse vali-
 dum